



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Triplex Statvs; Ecclesiasticvs, Religiosus, & Sæcularis

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Ad Deiparam Dominam meam Epilogus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80707](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80707)

Ad Deiparam Dominam Meam, Epilogus.



QVEMADMODVM Arca foederis quædam fuit turris fortitudi-
nis, quæ Israëlitas tuebatur, vnde medium eorum locum obtine-
bat, vt ab omnibus misericordiam imploratoris, æqualiter
adiretur: *Numer. 2. n. 2.* ita ô Beatissima Virgo tanquam turris
fortissimi cunctos status hominum, Clericalem scilicet, Religiosum, &
sæcularem tuo patrocínio protegis, ac defendis. Vnde medium Orbis locum,
vt ab omnibus pariter requiraris, diceris occupare. *Operatus est salutem in
medio terra. Psal. 37. n. 12.* in Maria videlicet, quæ (teste Bernardo *ser. 2.
de Pentec.*) mirabili proprietate terra medium appellatur. Ad illam enim sicut
ad medium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæ-
culorum respiciant qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequemur. Licet
autem omnes hominum status pietatis sinu protegis, specialissimè in Ec-
clesiasticum tuus fertur affectus. *Sumpsit olim Maria soror Aaron tympanum
in manu sua. Exod. 15. n. 20.* Cur dicitur soror Aaron potius quam soror
Moyfis? Responder Oleaster. Quia familiarior eras Aaroni. At cur ad
vnam potius fratrem, quam ad alium inclinabat? Vt in Maria prophe-
tissa Mariæ Deiparæ specialis in Ecclesiasticum statum affectus adombra-
retur. Sæcularem statum amas ô Domina, sed singulari dilectione Ecce-
siasticum prosequeris misericordiæ addictum. Nam sublato thuribulo & huius-
modi igne de altari, pergit citò ad populum, vt oret pro eo Aaronis instar.
Numer. 16. n. 46. Igitur ô Virgo non tanti Moyfis seu status secularis
gladium facis, quanti Aaronis thuribulum: huiusque non tam Dominam
gloriabundè appellas, quam sororem. Ecclesiasticus enim status tuam in
homines pietatem speciali iure imitatur. Aaron Sacerdotum Pater stans inter
mortuos ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit. *ibid. n. 48.* Sed fri-
get illius Charitas, si cum tua charitate comparetur. At tota ad misericor-
diam prona misericordiæ ex Sacerdotali munere deditos peculiari quodam
affectu miseraris.

Laus Deo, Deipara, Iosepho, Ignatio, Antonio.

R. P.